(10
129.

PROPOSITIONES
EX CHRISTIANÆ FIDEI CONTROVERSIIS
SUB AUGUSTISSIMIS AUSPICIIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII SEXTI
PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI
AB JOSEPHO AUGUSTINO S. R. I.
LIB. B. AB ET IN ANDLAU, ET ROMCHAMP,
DIOECESIS BASILEENSIS NOBILI ALSATA
COLLEGII GERMANICI, ET HUNGARICI ALUMNO
DEFENDENDÆ
PRÆSIDE FR. JOSEPHO MONTALDI ORD. PRÆD.
CONTROVERSIARUM FIDEI, NEC NON HEBRAICÆ LINGUÆ
IN EODEM COLLEGIO PROFESSORE.



ROMÆ MDCCLXXXI.
EX TYPOGRAPHIA ARCHANGELI CASALETTI.
SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

SI a natura ita inſtituti, atque comparati ſumus, ut iis, qui de nobis, deque republica meriti optime fuerint, veluti auctoribus

Digitized by Google

ſalutis, felicitatiſve noſtræ, memoria beneficiorum ſemipterna devinctos nos eſſe, obſtrictoſque confiteamur; ne deliberandum quidem mihi eſſe judicavi, cuinam perceptum a me ſtudiorum meorum fructum offerrem, & conſecrarem; quod probe agnoviſſem, unum Te, PIE PONTIFEX MAX., *omnium maxime noſtro eſſe bono communi natum, atque quidquid nobis obveniat commodorum, tuum eſſe putarem, Tibique adeo jure Tuo reſtituendum. Eccui autem non plane cognitum, perſpectumque ſit, auctoritatem, quæ tanta in Te eſt, comites habere eximias virtutes omnes, quæ ad ipſam cum dignitate ſuſtinendam conferunt? Cumque ad has ordine exercendas ſapientia requiratur, ecquid Tu umquam habuiſti antiquius cœleſtis, divinæque doctrinæ amore, ac ſtudio, in quo potiſſimum tam diligentem, vehementem, aſſiduam operam poſuiſti, pergiſque ſumma conſtantia ponere, ut jam non ſolum candore,*

ac

ac integritate morum, virtutumque omnium ornamentis; ſed omnigenæ etiam eruditionis, atque doctrinæ adfluentia non modo ſtudioſis addiſcendi veri exemplo, atque incitamento fueris; verum etiam doctiſſimis admirationi? Eſt, PIE PONTIFEX MAX., *eſt, inquam, Urbi, & Orbi ſatis explorate nota egregia iſta Tua, non minus copia, quam ſingulari librorum delectu celeberima Bibliotheca, quam Tibi jam inde a multo tempore partam augere, amplificareque numquam intermiſiſti, non ad ornatum ædium, non ad pompam, non ad nomina tantum auctorum figenda memoriæ; ſed ad excolendum magis magiſque animum, & ad eorum ſenſa percipienda, atque dijudicanda, ut, capta inde optimarum, maximarumque rerum cognitione, & Te ipſum in fungendis muneribus, quibus ampliſſimis jam inde ab adoleſcentia fungi cœperas, tueri, &, quod Tibi cordi ſemper vehementer fuit, ceteris prodeſſe poſſes.*

Quam proinde Bibliothecam Tibi in pretio, atque in deliciis ſemper & fuiſſe, & eſſe, adſunt viri exiſtimatione, & fide, qui ſe non opinari, ſed ſcire; non ab aliis accepiſse, ſed plane vidiſse, experiendoque comperiſse teſtantur. Atque hæc ipſa præclara excelſi tui animi ornamenta tum enituerunt maxime, cum inſtinctu quodam Divinitatis, orbe Chriſtiano univerſo Tibi plaudente, & gratulante, Petri Cathedram conſcendiſti; quo quidem ex tempore Chriſti Vicarius, Princeps Paſtorum, ſupremum in terris viſibile caput Eccleſiæ conſtitutus nihil præſtantius, aut beatius Tibi fore putaſti, quam ut Pontificum ſuperiorum, qui ſumma cum laude Eccleſiam rexerant, imprimis autem Principis Apoſtolorum veſtigiis inſiſteres, virtuteſque imitarere. Itaque ſic tecum conſtituiſti, ut nihil recuſares ſtudii, laboris, periculorum, modo Te totum Rei chriſtianæ publicæ procurandis utilitatibus dederes,

effice-

efficereſque , ut errantes adducantur ad cognitionem veri , fratres in fide , atque in officio maneant , repugnanteſque coerceantur , ac faciant aliquando repugnandi finem . Ac ſpiritum in Te Petri velut immigraſse , populi non finitimi ſolum , ſed qui etiam a noſtris longis ſunt terrarum intervallis disjuncti Siamenſes , Tunchinenſes , Sinenſes , Cocincinenſes , Malabari , quid enim alios memorem ? norunt , & vero teſtantur , ac prædicant . Tuæ enim vigilantiæ , ſtudio tribuendum eſſe , veriſſime , rectiſſimeque affirmant , quod , viris Apoſtolicis ad illos miſſis , lux Evangelicæ veritatis aut nunc primum affulſerit , aut obſcurata olim , rurſum colluſtrata , atque propagata ſit latius , & ita quidem , ut facilius , firmiuſque retineatur . Atque ejus præclaræ rei cauſa , nullis ſumptibus parcendum , nihil diligentiæ prætermittendum exiſtimaſti , quin variarum Orientis linguarum typographicæ formæ excuderen-

tur

Digitized by Google

tur, quibus editi optimi quique libri extimis populis utilitati, vel ſaluti eſſe poſſent. Quid? Si hoc idem de Tuo exprimendarum in Te ipſo Petri virtutum ſtudio Eccleſiæ magno numero prædicant, quibus regendis doctos imprimis, virtuteque conſpicuos Antiſtites præfeciſti. Sed non eſt cur Apoſtolici Tui ſpiritus demonſtrandi gratia longius eſſe argumenta repetenda putem, cum ea quiſque, ubi vis locorum degat, in promptu habeat, & admiretur. Tuæ perſpicientiæ, ſollicitudinis illuſtria ſpecimina ſunt tot illa ædificia ſacra, quæ juſſu Tuo vel e fundamentis erecta, vel reſtituta, atque magnifice, eleganterque ornata ſunt; tot illæ ædes, quas non tam ad publicum imperii tui bonum, quam ad periclitantium pauperum puellarum pericula ſubmovenda, atque ad earum mores rite, ſancteque informandos inſtitutas, atque amplificatas admiramur; tot illa Conlegia, quæ vel jam collapſa inſtau-

raſti,

Digitized by Google

raſti, optimiſque legibus inſtruxiſti; vel ante conſtituta donis, privilegiis, redditibus auxiſti, ut ibi majorem in modum pietatis officia, litterarumque ſtudia excolerentur, ut adoleſcentium virtus incitaretur acrius, ac vehementius ad difficilia quæque, atque gravia munia obeunda acueretur. Hæc, aliaque ſane multa, quæ ne percenſere quidem numerando poſſem, optimi Paſtoris exempla etſi tanta, tamque præclara ſunt, ut vix ab uno inchoari, perficique potuiſſe videantur; non tamen excelſum animum tuum ita occuparunt, quin potueris etiam magnanimi Principis, Patriſque Patriæ omnes explere partes, quæ ad ſubditorum Tuorum felicitatem procurandam, conſervandam, augendamque pertinerent. Ea, quæ jam abs Te uno perfecta ſunt, quæque in dies moliris, nullam rem plane demonſtrant eſſe, quæ ingenii Tui aciem fugere, Tuamque animi magnitudinem, atque virtutem ſupe-

rare poſſe videatur. Iis vero, quæ hoc item in genere præclare, magnificeque geſſiſti, quæ par umquam inveniri, aut excogitari poteſt oratio? A Te portoria, vectigalia, tributa partim ſublata, partim imminuta: a Te alimentarii pueri Fulginii, puellæ Romæ collecti ad diverſa, multaque pro communi utilitate exercenda opera: a Te nova oppida perfecta, novæ viæ breviores, facilioreſque apertæ: nova a Te ſapienter inventa ratione Paludes Pomptinæ fere omnes immortali Tui Nominis gloria exſiccatæ, ac ingenti, perennique Rei civilis publicæ, quam ſumma cum laude regis, atque moderaris, emolumento, quod nullus antea eſt aſſequutus, frugiferæ redditæ: a Te... Sed quid plura? Hoc breviſſime dicam, neminem umquam tam audacem fuiſſe, qui tot, ac tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Deum O. M. in Te unum largiter contuliſſe, intuemur. Quæ quum ita ſint,

nihil

Digitized by Google

nihil erat profecto cauſæ, cur dubitarem, hoc meum de Religione certamen Tibi uni offerri, atque conſecrari omnino debuiſſe. At me coram Tecum his de rebus agere cogitantem deterrebat pudor quidam, propterea quod optime ſentiam, quam parum ingenio, doctrinaque poſſim. Recreat me tamen maxime animi Tui lenitas, atque humanitas, quæ ita eſt Tibi ingenita, ut, qui dignitate, auctoritateque ceteris omnibus antecellis, facilitate par infimis eſſe videaris. Hac una fretus in certam ſpem erigor, fore, ut Tibi hoc qualecumque munus, quod ob Tua multa, eaque eximia in me, atque non in civilem ſolum, ſed, quod omnium caput eſt, in Eccleſiaſticam Rempublicam beneficia Tibi offero, dico, conſecro, gratum ſit, Tuaque me proinde benignitate, atque clementia non dedignere.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Franciſcus Antonius Marcucci ab I. C. Epiſc. Montis-Alti Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Bruno Toma Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Socius.

DE

Digitized by Google



DE DIVINA REVELATIONE.

I.



DE rebus maximis ad Religionem ſpectantibus verba facturi, nonnulla, in metaphyſicis diſciplinis jam illuſtrata, planeque vindicata, principii loco ponere, operæ pretium ducimus: Illud primum eſt, quod & ipſa recta dictat ratio, ipſa ubique pulchritudo, ordoque adſpectabilis hujuſce mundi alta, claraque prædicat voce, & confirmat quammaxime una cujuſque etiam immanſuetæ, atque feræ gentis ſemper ſibi quavis ætate conſentiens, conſpirans, continuataque ſententia, unum videlicet perfectiſſimum exiſtere Deum, atque eumdem ipſum eſſe rerum omnium non efficientem ſolum, ſed & exemplarem, atque finalem cauſam, non quidem cæcam, ſed ſumme intelligentem, cujus ſcilicet mente, atque ratione omnis mundus adminiſtratur, regitur, atque movetur; Neque vero id ſolum, ſed etiam ab

Digitized by Google

illo vitæ hominum ſingulari cura conſulitur , & providetur . Soli enim inter animantes ratione utentes , libertateque arbitrii præditi jure , ac lege vivunt.

II.

Alterum , quod ſequitur , eſt , hominis animum non una cum corpore extingui , ſed immortalem eſſe , officii præmium , & fructum in altera vita accepturum ; neque enim in mortali hac vita virtuti ſemper ſunt ſua præmia , & vitio ſupplicia .

III

Homini propterea inſit oportet adverſus Deum pietas , cui conjuncta eſt juſtitia , ſanctitas , reliquæque virtutes , quas omnes una complectitur divina ſacra Religio . Si enim uni Deo tanquam principi cauſæ debemus omnia , ſi ab illo eſt , quod ad vere beatam noſtram vitam permanare poteſt , ſi juvare nos vult , ſi curat omnino , & quid agamus animadvertit , profecto ipſi adhibendus cultus , adhibendi honores , & preces , gratiæ quoque referendæ .

IV.

At , ſublata doctrina divinitus revelata , vera pietas nobis ineſſe non poteſt : ſanctitatem quoque , & religionem tolli , neceſſe eſt . Rationis utique lumine plura de Deo , ejuſque attributis , plura de virtutibus ſectandis , deque vitiis fugiendis perſcrutari , atque cognitione aſſequi poſſunt homines .

Digitized by Google

nes. Verum, ut eſt ſapienter ab Angelico animadverſum p. p. quæſt. 1. art. 1., lib. 1. cont. Gentes cap. 4., & experientia ipſa magiſtra erudimur, ſi ſola rationis via ad hæc ipſa cognoſcenda pateret, veritas paucorum tantum, & non niſi provecta ætate, nec abſque multorum errorum admixtione animos occuparet; *idque eo vel maxime, quod investigationi rationis humanæ plerumque falſitas admiſcetur propter debilitatem intellectus noſtri in judicando, & phantaſmatum permixtionem*. Unde vel apud ipſos Philoſophos, qui perpauci ſane fuerunt ſemper, *in dubitatione remanerent ea etiam, quæ ſunt veriſſime demonſtrata; & humanum genus maximis detineretur ignorantiæ tenebris*.

V.

Præterquamquod multa ſunt alia homini ad recte, honeſte, ſancteque agendum, atque ad beate vivendum ſcitu neceſſaria, quæ ejuſdem & captum ſuperant, & ingenium. Certe quonam in bono ſita ſit hominis beata perpetuo vita, qua illius omnis ſatietur appetitus, qua nil melius, nil nobilius exoptandum eidem reſtet: quænam vera cauſa malorum, quibus noſtri anguntur animi, quænam propterea remedia illis adhibenda, ut tollantur, vel ſedentur, ne animis detrimento ſint, atque extremæ ruinæ: Rurſus, quonam cultus genere Deus ſit proſequendus, quidnam divinæ læſæ majeſtatis reis agendum, quo in firmam obtinendæ veniæ ſpem erigantur, ignoravit ſemper, ignorat adhuc naturalis ſibi ſoli relicta Philoſophia.

Digitized by Google

VI.

Fateamur itaque oportet, verſari inter homines doctrinam omnibus numeris perfectam, certam, firmam a divina Sapientia profectam, humanoque generi clare exhibitam earum omnium veritatum, ſine quibus, nec vera religio, nec ſpes beate ſemper vivendi ineſſe poteſt. Si enim non tam fuit hominum generi infenſus, atque inimicus naturæ Auctor, ut corporibus tot res ſalutares invenerit; quis ſui compos inficias ibit, animis, in quibus major certe eſt præſtantia, & divinior, fuiſſe ab illo majori conſultum cura, atque diligentia? Omnibus ſiquidem perſpectum optime, atque probatum, in neceſſariis Deum creatis a ſe rebus non deeſſe.

VII.

Quod ſi aliter eſt, hoc ideo profecto, quia aut ignorat Deus humani ingenii infirmitatem, debilitatemque; aut vim non habet, qua illam ſuſtineat, ac vires addendo corroboret; aut ſi poteſt, non vult. At & ignoratio rerum aliena naturæ divinæ eſt; & adjuvandi propter imbecillitatem difficultas, ſicuti & adverſa voluntas minime cadunt in naturam Dei, cujus ſumma eſt potentia, ſumma bonitas, ſumma providentia.

VIII.

Nec revelata doctrina ex earum eſt genere rerum, quas eſſe repugnat, quæque implicant contradictionem. Non pugnat illa cum Dei attributis, quinimo hæc ipſa hinc elucent quam-

Digitized by Google

quammaxime , & commendantur. Nec pugnat cum naturæ principiis, ſed conſentit ; nec diſſident humana , & divina ratio, ſed cohærent. Utraque ortum habet ab uno eodemque ſupremo Principio , Deo videlicet , qui ſibi contrarius non eſt. Revelatio, quam tuemur, ſupra , non contra naturam eſt, ſed hanc ipſam perficit. Divina ſiquidem auctoritate, quæ humana omni ratione potior, & antiquior eſt, & in qua illa ſuſtentatur, illuſtrat ea, & firmat, quæ naturali lumini congruentia, & conſentanea ſunt; ea vero, quæ naturam, & ingenium exſuperant, patefacit, clare, certoque edocet.

IX.

Vituperanda autem ceu inutilis, & noxia non eſt, quia ejuſdem prætextu varia, & cum recta etiam ratione non ſemel pugnantia dogmata, non ſolum indocti, ſed etiam docti commenti ſunt, acriterque propugnarunt, & defendunt adhuc multi. Inter diſſidentes opiniones fieri profecto non poteſt, ut plus una vera ſit. In hac ipſa tamen inveſtiganda, atque ab hominum commentis ſecernenda facilis eſt, & expedita via. Quemadmodum recta ratio, a qua turpiter aberrarunt, & aberrant adhuc multi; ita & revelata doctrina ſua habet certiſſima, eaque divina argumenta, quibus nempe Deus revelans ſui ipſius præſentiam, & inſpirationis veritatem oſtendit : Præcipua autem illa ſunt, Doctrinæ, quæ prædicatur, omnimoda perfectio, atque ſanctitas, prophetiæ, & miraculorum dona, quibus illamet illuſtratur, & confirmatur.

Digitized by Google

X.

Ac in primis, quum indubiis veterum cujuſque ætatis, atque gentis litteris, monumentiſque conſtet omnino, illos etiam Philoſophos, qui maxima ingenii acie præditi, multiſque doctrinarum præſidiis inſtructi videbantur, & revera erant, ignoraſſe multa, turpiter a maximis aberraſſe, eaque ſtatuiſſe, promulgaſſe, quæ a vero vehementer abhorrent; hinc ſane ſequitur, Legislatorem illum divino afflatum ſpiritu exiſtimandum; cujus doctrina perfecta, juſta, ſancta, & ab cujuſque erroris labe aliena deprehendatur. Hoc adeo exploratum, ut Tullius lib. II. de natura Deorum faſſus ſit, fieri non poſſe, ut quis vir magnus ſine afflatu divino ſit.

XI.

Ejuſdem autem doctrinæ veritas, atque divina origo demonſtratur magis, quoties, qui illam hominibus ſuadere ſtuduit, prophetico lumine fuerit exornatus, atque oracula, quæ in illius confirmationem edidit, eventu pleniſſime donata certo ſciamus. Patet id vel ipſius prophetici luminis natura, ac finitione: Eſt enim futurarum rerum, quæ contingentes ſunt, præſenſio, certaqne cognitio, atque ille vere Propheta, qui futura certo præſcit, atque prædicit. Jam vero ſicuti gentem nullam videmus neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quæ non, ſignificari futura, & a quibuſdam intelligi, prædicique poſſe, cenſeat: ita memoriæ proditum habemus, Philoſophis, Poetiſque Ethnicis hoc commune ſcitum fuiſſe, ſolum Deum

Deum ſibi futurorum ſcientiam vindicare, mortalium neminem naturali, qua pollet, virtute futura certo noſſe. Et re quidem vera id non ſuſcipit vita hominum, conſuetudoque communis, ut ea, quorum nulla eſt cum natura, vel arte connexio, præſagiant, habeantque exitum res ejuſmodi, quarum ſibi ſumpſerint prædictionem.

XII.

Spinoza quidem, ejuſque cultores Porphyrium ſequuti, Prophetarum omnium oracula ab naturalibus cauſis, ab certa præcipue corporis temperatione, ab acriori phantaſia, ab educatione repeti optime poſſe decernunt. Verum non ſolum falſitate, ſed etiam amentia fuere jam multis ab Jamblico convicti. Ille ſolus, qui tenet cauſas omnes rerum, ajebat præclare Cicero, idem neceſſe eſt, omnia teneat, quæ futura ſunt; unus autem Deus colligationem cauſarum omnium perſpicit, unum propterea ipſum nihil prorſus latet, nihilque fallit; *Prophetici itaque luminis cauſa eſt dumtaxat divinitas*, concludit Jamblicus, *mittiturque a Deo pro ejus arbitrio, quando ſcilicet, & quomodo vult benignitate quadam demonſtrare futura*. Homini autem relinquitur tantum, ut ſignis quibuſdam ſequentia declarantibus futura præſentiat.

XIII.

Ea quoque opera, quæ totius naturæ ordinem, facultatemque excedunt, quæque ab admiratione, qua homines ob cauſarum in re prorſus nova ignorationem afficiuntur,

Digitized by Google

miraculi nomen ſortiuntur , naturalibus cauſis , aut arti acceptа referenda non eſſe, ne ipſi quidem Spinozæ aſſeclæ in dubium vocare audent. Profectò aut ratione omnino, ulla aut ſenſu etiam communi careat, neceſſe eſt, qui non ſtatim vel ex ipſa definitæ rei notione percipit, illum ſolum, qui eſt totius naturæ auctor, conſervator, & rector, poſſe præter eiuſdem naturæ ordinem agere.

(XIV.)

Hæc ipſa autem opera, quæ præter communem naturæ ordinem ſunt, ne a Dei quidem potentia fieri poſſe, vana eſt, ridicula, divinæque naturæ injurioſa Spinozæ tergiverſatio, quam Angelicus p. p. quæſt. cv. art. vi. contudit jam, penituſque obtrivit.

(XV.)

Et quamvis ipſe rerum ordo, etiam prout a cauſis ſecundis pendet, nil aliud ſit, quam ipſum æternum, firmumque Dei decretum; tamen Deus quoties præter illum rerum ordinem agit, ſententiam, voluntatemque ſuam nulla prorſus ratione mutat. Ut enim ſapienter admonet Angelicus p. p. quæſt. xix. art. vii. & quæſt. ix. de potentia art. 1. ad vi., Deus tunc ſolum eſſet mutationi obnoxius, quando in tempore aliquid vellet, vel operaretur, quod ab æterno vel non prævidiſſet, aut noluiſſet; At *Deus ab æterno prævidit, & voluit facere, quod in tempore facit. Sic ergo inſtituit naturæ curſum, ut tamen præordinaretur in æterna ſua volun-*

Digitized by Google

voluntate , quod præter curſum iſtum quandoque facturus erat .

XVI.

Sequitur adeo , eam doctrinam , in cujus argumentum oracula edita, eventuque pleniſſime donata, veri quoque nominis miracula patrata fuerint , uni Deo auctori adſcribendam , & tamquam divinitus revelatam ab omnibus eſſe habendam . Nec enim prima , ſumma , ſimpliciſſima veritas vel animo concipi poteſt cujuſque etiam leviſſimæ falſitatis teſtis, & vindex .



DE



DE DIVINA DOCTRINA UTRIUSQUE FOEDERIS.

I.

MUltifariam, multiſque modis fuiſſe Deum loquutum Patribus in Prophetis, tot ſunt invicta argumenta, quot pene verba, quibus conſtant illi libri, quos Moyſes primum, dein alii ex Hebræa gente præclariſſimi, ac ſanctiſſimi viri divino afflati Spiritu conſcripſerunt, quique ut ſacri & ab Synagoga, & ab Eccleſia fuere ſemper probati. Et ut, quo volumus, facilius, feliciuſque perveniamas, atque effugia Naturaliſtis præcludamus omnia, illud principio ponendum eſt, laudatos libros, non ſuppoſitos, ſed genuinos eſſe, illiſque adſcribendos Auctoribus, quorum præferunt nomina. Hoc adeo eſt manifeſtum, ut idipſum negari, vel in eo addubitari, ſine pervicacia, & ſtultitia non poſſit.

II.

(II.)

Si genuini, non ſpurii, ſi integri, non corrupti, profecto & omnibus, quæ in illis deſcripta leguntur, certa fides eſt adhibenda. Si quod enim mendacium, dubio procul eſſet repetendum ex Auctoris aut ignorantia, ingeniique tarditate, aut ex prava voluntate, maloque dolo. At crimina hæc ſacris Auctoribus, & Moyſi, cujus auctoritatem potiſſimum inſectantur Increduli, moveri abſque turpi temeritatis, & impudentiæ nota non poſſunt.

(III.)

Fuiſſe enim Moyſem ſingulari ingenii acie, eximiaque prudentia præditum, atque ad vera, & falſa judicanda recte compoſitum, argumento ſunt præclara, quæ aggreſſus eſt, feliciterque perfecit opera. Sed & hiſtoria, quam ſcribit, eas complectitur res, quas partim ipſe coram maxima multitudine geſſerat, aut ſuis viderat oculis, perceperat auribus, partim vero ab aliis quamplurimis in idem conſentientibus, fideque dignis, qui vel eas ſpectaverant, vel conſtanti tenebant traditione a majoribus ducta, acceperat. Quod ſi non ſemper animum intendiſſet, & nonnumquam fatigatus oneri cedens lapſus fuiſſet, error ſtatim fuiſſet detectus.

(IV.)

Multoque minus in pravæ ad decipiendum voluntatis crimen vocari ipſe Moyſes poteſt. Qui enim mandaciis ſtudent,

dent, qui ficte, & fallaciter hiſtoriam ſcribunt, non ſimplici, ſed fucato utuntur verborum, ſententiarumque ornatu, non Dei gloriam, populique felicitatem, ſed privata commoda quærunt, non ad coævos, atque præſentes, ſed ad remotiſſimos, prorſuſque incompertos provocant teſtes; contra autem ſe geſſiſſe Moyſem, luce meridiana clarius declarant ejuſdem libri.

(V.)

Sed etſi voluiſſet, minime potuiſſet decipere. Quod quis arte fallendi inſtructus nonnulla a cognitione, ſenſuque aliena perpaucis ſuadeat, nil mirum. Inauditum tamen eſt, nec in ſapientis animum cadit, impoſtorem ſua ſagacitate, atque calliditate fucum feciſſe, vel facere poſſe immenſæ pene hominum multitudini cujuſque generis, ſtatus, atque ætatis, ita ſcilicet, ut ſexcenties mille viris, exceptis fœminis, & pueris, tot enim in deſerto præſentes tunc erant Hebræi, crediderint firmiter, conſtanterque defenderint, ſe propriis vidiſſe oculis, manibus contrectaſſe ſuis, manducaſſe etiam, atque bibiſſe & quidem longo annorum decurſu, cum interim nihil revera viderent, nihil guſtarent, nihilque prorſus experirentur.

(VI.)

Ex quo ſponte ſua fluit, doctrinam, religionemque, quam Moyſes edixit, ſcriptiſque conſignavit, & quam alii, qui ſequuti ſunt, ſacri Auctores confirmarunt, latiuſque proſeminarunt, divinam prorſus eſſe. In ipſam ſiquidem omnia divinæ revelationis pleniſſime quadrant argumenta jam ſtabilita,

Digitized by Google

lita, quæ videlicet ex doctrinæ ſanctitate, & prophetiis, atque miraculis ducuntur.

VII

Quæ Moſaici, quæ reliqui libri de Deo, de cultu illi tam internis, quam externis actibus adhibendo, de vitæ agendæ ratione, de mutua & cum civibus, & cum aliis gentibus conſuetudine, de ſubditorum in principem, de uniuſcujuſque ſingularibus officiis docent, atque præcipiunt, nihil non bonum, nihil non juſtum, nihil non ſanctum, nihil, quod non ſit Deo, & homine dignum, exhibent. Quæ quidem omnia ſingillatim demonſtrat plane S. Thom. p. 2. pluribus, quas ibi inſtituit, explevitque, de lege veteri quæſtionibus.

VIII.

Quonam vero lumine illuſtrati, quonam ſpiritu acti fuerint eorumdem librorum Auctores, doctrinæque in illis contentæ prædicatores, ac vindices, declarant omnino, atque evincunt tot, tantique mirabiles illi effectus, quos clare præſenſerunt, quoſque adeo certiſſime futuros diu ante eventum prædixerunt, ac in litteras retulerunt, ut eorum prædictionibus abſoluta eventorum veritas firmiſſimam fecerit fidem. Et re quidem vera, quum res illæ, in fortuna poſitæ, ſive fortuitæ, & contingentes prorſus eſſent, nihil habebant rationis, quare futuræ eſſent; non poterant propterea arte, aut ſapientia, aut exercitatione, aut conjectura præſentiri. Neceſſe eſt ergo, divino illos fuiſſe ſpiritu afflatos.

IX.

(IX.)

Fateri etiam oportet, divina eoſdem fuiſſe virtute indutos. Ea enim, & quidem in diverſis temporum, locorumque circumſtantiis, patrarunt opera, quæ vel quantum ad ſubſtantiam facti, vel quantum ad id, in quo fit, vel quantum ad modum, & ordinem faciendi naturæ totius vires excedunt. Poſſet id multis, oſtendi, ſed in re clara non eſt neceſſe; nec inſtituti noſtri ratio patitur.

(X.)

Divina antiqui Fœderis librorum veritate, & inſpiratione ſtabilita, nemini jam ſanæ mentis fas erit, vel leviter addubitare, fuiſſe a Deo antiquis Patribus promiſſum, atque a viris multis prophetico donatis lumine certiſſime prænuntiatum fore, ut ſingulari divinæ gratiæ munere mundo illuceſceret novus magnus Dux, Doctor, & Redemptor, atque Servator, qui Meſſias eſſet appellandus. Hæc fuit ſemper, & eſt Judæorum omnium, & Chriſtianorum una firma, conſentiens ſententia. Verum non in genere tantum, ſed & ſingillatim ejuſdem Meſſiæ dotes, ſuique adventus, ne deciperentur homines, circumſtantias omnes, atque cauſas, ceteraque ab illo perficienda mira perſpicuitate in eiſdem libris diu antea deſcripta legimus.

(XI.)

Et multis, quæ Noſtri de Meſſiæ potiſſimum divinitate in eo, quem de Incarnationis myſterio habent, tractatu veriſſi-

Digitized by Google

riſſime ſtatuunt, inviĉteque defendunt, prætermiſſis, illum de Tribu Juda ex Virgine matre, & quidem in Civitate Bethlehem omnibus Spiritus Sanĉti donis exornatum, atque repletum naſciturum, quique videlicet ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus in æternum ſederet, hocce vocitandus præclaro nomine: *Admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus fortis*, *Pater futuri ſæculi*, *Princeps pacis*, prædicarunt perſæpe ſacri Vates, & præcipue Iſaias capp. VII., IX., XI.

XII.

Ejuſdem tamen imperium non erat futurum adinſtar Regum terræ, ſed ſpirituale. *Erit enim juſtitia cingulum lumborum ejus*, eodem Iſaia teſte, *& fides cinĉtorium renum ejus*; *percutiet etiam terram*, *ſed virga oris ſui*, ideſt cæleſti ſua doĉtrina; *& interficiet impium*, ſed *ſpiritu labiorum ſuorum*, ideſt efficaci ſua divina gratia. Et ſane quomodo Meſſias armata militum manu erat adverſus gentes pugnaturus, eiſque maximam cladem illaturus, quum idem Iſaias, & alii Prophetæ non ſemel docuerint, quod ipſæ gentes doĉtrina gratiæ excitatæ, motæ, atque adjutæ non coaĉte, ſed hilari, libentiſſimoque animo *fluent ad eum*, *& dicent*: *Venite*, *& aſcendamus ad montem Domini*, *& ad domum Dei Jacob*, *& docebit nos vias ſuas*, *& ambulabimus in ſemitis ejus*?

XIII.

Sed non armis tantum, poteſtateque mundana, verum & ejuſdem generis gloria, atque divitiis deſtitutus in mundum

dum venturus ille prædicitur. Præclara in rem noſtram, ac decretoria ſunt, quæ habet Zacharias cap. IX. Quid? quod & contumeliis, graviſſimis pænis, turpiſſimaque morte afficiendus, & cum iniquis reputandus, ut populi ſui, totiuſque mundi ſcelera, & iniquitates deleret, *& adduceretur juſtitia ſempiterna*. Ipſe juſtus in ſcientia ſua juſtificabit multos, & pro tranſgreſſoribus rogabit, fortium autem dividet ſpolia (Iſaiæ LIII., Dan. IX.)

(XIV.)

Quoniam Deus animam illius, quem pro peccato in mortem tradidit, non derelinquet in inferno, nec dabit Sanctum ſuum videre corruptionem, Pſal. xv. ſed aſcendet ſuper occaſum, ideſt, mortem, quam obierit, calcabit; & unde in paſſione occubuerit, inde majorem ſuam gloriam reſurgendo manifeſtabit, aſcendens autem in altum captivam ducet captivitatem, dabit dona hominibus, (Pſal. LXVII.) In diebus autem illis non ſolum ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter (Jer. XXIII.), illorum multi Meſſiam agnoſcentes, & confitentes Dominum, atque juſtum; ſed etiam radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum (Iſa. XI.) Tunc enim reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium (Pſalm. XXI.) Hinc ex Judæis, & ex Gentibus novus Dei populus electus, per totum quidem orbem proſeminandus, unius tamen, ejuſdemque Religionis vinculo in unum myſticum corpus conſurgens, colligatuſque ſemper perſeverans. XV.

XV.

Si novus populus in Dei hæreditatem eligendus, ergo & nova lex ferenda, adeoque vetus Moſaica, quæ proprie ceremonialibus, & judicialibus conſtabat præceptis, nam moralia ad naturæ legem ſpectant, abroganda. Hoc ſane Dei legislatoris ſapientia poſtulabat. Nam ſi Moſaicæ legis ſpectetur natura, non ſolum infirma erat, nihil enim illa ad perfectum adduxit, ſed & novo populo obſervatu impoſſibilis fuiſſet. Si vero ejuſdem legis finis ſpectetur, pugnat illa cum novæ reipublicæ principiis. Ut enim dictum eſt, conſurgere illa, firmiterque conſtare debebat non ex una, vel altera gente, ſive provincia, ſed ex omnibus populis: Contra vero quamplurima antiqui fœderis præcepta fuerant lata, ut una Hebræa gens ab aliis ſecerneretur populis, ut ab eorumdem familiari arceretur conſuetudine. Sed, Deus ipſe per Prophetas non ſemel eſt conteſtatus, ſe novum initurum fœdus diverſum ab eo, quod in deſerto inierat.

XVI.

Quodnam vero tot, tantarumque rerum mirabilium tempus? Et hoc etiam dignatus eſt Deus clare, definiteque præmonſtrare. Omnia de Meſſia prædicta erant adimplenda, antequam auferetur ſceptrum de Iſrael, Geneſ. XLIX; florente adhuc quarto regno, Romanorum videlicet imperio, Daniel. II, ſeptuaginta hebdomadibus exactis, ibidem cap. IX., ſtante adhuc ſecundo Hieroſolymitano templo, Michææ cap. V., Aggæi cap. II., Malach. cap. III.

XVII.

In unum Dominum noſtrum Jeſum Nazarenum veriſſime, ac pleniſſime quadrare omnia, quæ de venturo Meſſiæ fuerunt edita, divina oracula, vel ſola librorum utriuſque fœderis collatione facta, cuique, malitia, cordiſque pravitate non obcæcato, patet. Vera propterea, ac divina ſunt ſingula doctrinæ illius capita, quæ amplecti, & ſequi tenentur omnes.

XVIII.

Accedunt doctrinæ divinitus revelatæ argumenta. Ac de Evangelicæ legis ſanctitate non eſt cur multa dicamus. Tota in eo omnium maximo fundatur, atque nititur mandato, ut Deus inprimis ſuper omnia ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente; dein proximus, ne infenſiſſimo quidem inimico excepto, opere, & veritate diligatur, Matth. XXII., I. Joann. III. Quæcumque complectitur præcepta eo ſpectant, non ſolum *ut reddantur omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*, Rom. XIII., ſed etiam, & quidem maxime, ut, inordinatis animorum motibus, mundique illecebris perpetuo indicto bello, morum integritate, nec non virtutum omnium ſplendore perfecti efficiantur homines, quantum eorumdem patitur conditio, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt.

XIX.

Propoſuit utique Chriſtus, atque credenda hominibus imperavit quamplurima, quæ cujuſque creatæ mentis aciem exſu-

exſuperant; hæc ipſa tamen cum notione ea, quam recta ratio de Deo, ejuſque attributis exhibet nobis, certe non pugnant, quin & hæc ipſa jam in antiquo fœdere prænuntiata, vel præfigurata leguntur: Deinde divina eorumdem, quemadmodum & aliorum omnium, quæ Chriſtus, ejuſque prædicarunt Apoſtoli, ac Diſcipuli, origo multis fuit confirmata oraculis, atque prodigiis. Notiſſima, illuſtria, maximeque dearticulata ſunt ea, quæ Chriſtus in ſuæ divinæ doctrinæ confirmationem edidit, vaticinia de mortis ſuæ genere, ſinguliſque circumſtantiis, de reſurrectione e tumulo, aſcenſuque in cœlos, de Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos illapſu, quo fieret, ut induerentur virtute ex alto, variiſque exornarentur donis, de exſcindenda una cum Templo Hieruſalem, de maxima incredulis Judæis inferenda clade, de futuro denique vario Eccleſiæ ſuæ ſtatu. Hæc autem, aliaque multa perfectiſſime impleta, teſtes ſunt cujuſque ætatis, cujuſque gentis probati Scriptores.

(XX.)

Eadem de cauſa, qua oracula, etiam ea multa patravit miracula, quæ nemo alius fecit. Cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mortuis vitam, aliiſque variis, graviſſimiſque detentis morbis ſanitatem donavit; in ſumma, *virtus ejus erat ad ſanandum omnes*, Lucæ v. Quid? quod mirum, eamdem virtutem ſuis communicavit non ſolum primis, ſed & plurimis aliis, qui floruerunt poſtea Evangelii præcones, atque vindices.

Digitized by Google

XXI.

Fuit vero prodigiorum editorum tanta frequentia, tot eorum teſtes, ut abſque ſumma impudentia, ut dubia, aut commentitia haberi, & ad fabulas ablegari, nulla ratione poſſint: Hæc enim Apoſtoli, ipſorumve Diſcipuli, inquit Grotius libr. III. de verit. Chriſt. Relig., publice aſſeveraverunt, additis perſonarum, locorumque nominibus, & circumſtantiis ceteris, ita ut facillime a Magiſtratibus, ab Judæis Chriſtianæ Religioni infenſiſſimis, & ab Romanis iniquis admodum, inquiſitione facta, veritas, aut falſitas aſſeverationis detegi potuiſſet cum maximo ſane illorum pudore, ac ſupplicio; Judæi vero, & Ethnici, licet tenebras veritati offundere conarentur, numquam proximis illis temporibus negare auſi ſunt.

XXII.

„ Quamquam etiamſi de Chriſto, ejuſque Religione te-
„ ſtimonia, miracula nulla præceſſiſſent „ inquit Auguſt. lib.
„ de fide rerum, quæ non videntur „ quem non moveret, ut
„ crederet, repente illuxiſſe divinam humano generi clarita-
„ tem, quando videmus, relictis Diis falſis, & eorum confra-
„ ctis uſquequaque ſimulacris, templis ſubverſis, ſive in uſus
„ alios commutatis, atque ab humana veternoſiſſima conſue-
„ tudine tot vanis ritibus extirpatis, unum verum Deum ab
„ omnibus invocari? Et hoc eſſe factum per unum hominem
„ ab hominibus illuſum . . ., crucifixum, occiſum; Diſci-
„ pulis ejus, quos idiotas, & imperitos, & piſcatores, & pu-
„ blicanos . . . elegit, annuntiantibus ejus Reſurrectionem,
„ &

„ & Aſcenſionem, quam ſe vidiſſe dixerunt, annuntiantibus maxime ad credendum ardua, ad operandum difficilia, ad ſperandum alta, &, impleti Spiritu Sancto, hoc Evangelium „ linguis omnibus, quas non didicerant, ſonuerunt . . . E „ ita fidelibus uſque ad mortem pro veritate, non mala re- „ pendendo, ſed perpetiendo certantibus; nec occidendo, „ ſed moriendo vincentibus, ſic in iſtam religionem mutatus „ eſt mundus, ſic ad hoc Evangelium corda converſa mor- „ talium cujuſque ſexus, ætatis, atque ordinis, & per om- „ nes gentes Eccleſia diffuſa maxime crevit „ & quidem pri- ma ætate: cujus rei teſtes ſunt multi, atque graivſſimi Irenæus, Tertul., Tacitus, Plinius, Tiberianus, &c.

(XXIII.)

Divina autem utriuſque Fœderis doctrina, quam tuemur, licet natura ſua perfecta, quum tamen nec de ſe ipſa litigantium utrinque rationes audire, nec ſententiam eloqui valeat, hinc neceſſario poſtulat alium judicem vivum, qui controverſiam omnem inter homines exortam certa, atque ſumma finire auctoritate poſſit. At judex hujuſmodi non poteſt eſſe privatus cujuſque ſpiritus; ſecus enim nullus eſſet diſſidiorum finis. Eccleſiæ itaque docentis eſt, diſcernere verba Dei, & verba hominum, determinare, quinam liber ſit canonicus, & quinam genuinus ejuſdem ſenſus. Paulo enim teſte ad Eph. IV., dedit Deus Paſtores, & Doctores „ ut jam non ſimus par- „ vuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ . „



DE MILITANTE ECCLESIA, DEQUE EJUSDEM PRIMATE.

(I.)

QUemadmodum Religio, ita & militans Chriſti Eccleſia, ſi in ampla ſui ſignificatione intelligatur, fuit mundo coæva; eſt enim cœtus fidelium viatorum. Fides autem Chriſti ſaltem implicita omni tempore poſt primi hominis lapſum populum Dei ab infidelium cœtibus diſcriminavit, fuitque omnibus neceſſaria. Et hac de cauſa ab Joanne in Apocalypſi cap.XII.Chriſtus prædicatur Agnus occiſus ab origine mundi. Atque in hunc quidem ſenſum Eccleſiam conficit omnium fidelium ab initio mundi uſque in finem congregatio.

(II)

Stricte tamen Eccleſia, de qua una nobis ſermo eſt futurus, eam deſignat hominum ſocietatem, quæ in Chriſti jam nati,

Digitized by Google

nati, & paſſi nomine per baptiſmum, qui & fidei Sacramentum eſt, cogitur. Definitur vero: „ Cœtus hominum bapti-
„ zatorum, qui unius, ejuſdemque Chriſtianæ fidei profeſ-
„ ſione, ac eorumdem Sacramentorum communione colliga-
„ tus a legitimis Paſtoribus regitur ſub uno viſibili Capite,
„ Romano videlicet Pontifice, vices Chriſti in terris geren-
„ te. Quam vera, quam recta ſit Eccleſiæ definitio hæc, deprehenditur plane vel ex Matth. cap. XXVIII. Chriſtus ſiquidem Dominus Apoſtolos ſuos, in quorum certe medio præſens aderat Petrus jam conſtitutus Caput, Primas omnium, centrumque unitatis, alloquens, promiſit, fore, ut Eccleſia ſua uſque ad ſæculi finem conſtaret ex Paſtoribus, qui docerent, Sacramentaque miniſtrarent, & ex populis, qui docerentur, & Sacramenta perciperent. Sed & Paulo interprete ad Eph. cap. IV., Eccleſia eſt unum myſticum corpus, cujus unus ſpiritus, una fides, unum baptiſma.

III

Hinc patet, quinam ſint illi, e quibus vere, & proprie Eccleſia conſletur. Quum Hæretici non omnia, quæ Chriſtus docuit, amplectantur, quin & revelatis contraria probent, ac tueantur; Schiſmatici autem Eccleſiaſticæ unitatis vinculum ſolvant, tam illi, quam iſti Eccleſiæ partes eſſe non poſſunt.
„ Scire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in
„ Epiſcopo,„ ſententia eſt Cypriani Epiſt. LXVI. ad Florentium,„
„ & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe.

Digitized by Google

IV

Contra vero eſt de reprobis , & peccatoribus . Licet enim illi non ſint filii ſecundum prædeſtinationem, ſunt tamen filii , & membra Eccleſiæ ſecundum præſentem juſtitiæ ſtatum : Licet etiam peccatores Chriſto , & Eccleſiæ non uniantur actu per caritatem , adeoque membra mortua revera ſint, quia tamen profitentur fidem Catholicam, nec ſuperba præſumptione legitimos contemnunt Paſtores , non ſunt a corpore exciſi, quin & Chriſti ſpiritus ſic in illos influit, ut non vitam eis quidem, ſed interiorem quamdam ſpirationem, quaſi vitalem, quæ eſt credere, conferat. Id ſi minus intelligitur, ex corpore naturali percipi poteſt. Sed quid eſt, cur afferamus exempla , quum Chriſtus ipſe in Evangelio multis, apertiſque declaraverit parabolis , peccatores etiam , atque reprobos ad ſuam ſpectare Eccleſiam. Errant propterea turpiter Hæretici illam inviſibilem ſtatuentes.

V.

Quum autem viſibilis Eccleſiæ caput ſit Chriſtus, qui perpetua ſua præſentia omnibus diebus illam illuſtrat , & firmat, ejuſdem vero anima ſit Spiritus veritatis, qui datus eſt, ut cum illa maneat in æternum, nullo pacto in fidei, morumque doctrina errare poteſt.

VI.

Et quoniam Deum non latuit , futuros multos Pſeudo-Apoſtolos , qui apud ipſos eſſe Chriſti Eccleſiam, fingerent, cer-

certas ideo exhibuit nobis notas, quibus vera Chriſti Eccleſia a pravis ſectis diſcerni poſſet. Hujuſmodi autem ſunt quatuor illæ, quæ in ſymbolo Conſtantinopolitano deſignantur; Unitas nempe, Sanctitas, Univerſalitas, & Apoſtolica inſtitutio. Quatuor autem has omnes notas in unam Catholico-Romanam Eccleſiam quadrare, publicis, iiſdemque certiſſimis evincitur argumentis.

(VII.)

Si divina inſtitutione Eccleſia eſt myſticum corpus, ſacra eſt quædam Reſpublica, fateamur oportet, formam aliquam, atque rationem, qua illa eſſet gubernanda, atque regenda, a Chriſto fuiſſe inſtitutam, ac præſcriptam; Ut enim admonet ſacer Auctor „ ubi non eſt gubernator, populus „ corruet. „

(VIII.)

Variæ autem quum ſint regiminis formæ, & rationes, non eam certe determinavit, quæ Democratica dicitur. Scriptura enim magiſtra ſcimus, ex multis, qui illum ſequebantur, Diſcipulis duodecim elegiſſe, quos & Apoſtolos nominavit, iiſque ſolvendi, atque ligandi, paſcendarumque ovium poteſtatem immediate contuliſſe; atque ita quidem contuliſſe, ut per illos in Epiſcopos ſucceſſores continenter permanaret, Pauli aperta ſententia eſt in actis cap. xx., 1. ad Corinth. cap. xii., ad Eph. iv.: id ipſum confirmat invicte Eccleſiæ doctrina, atque praxis ab Apoſtolicis ducta temporibus.

IX.

IX.

Nec eam Chriſtus præſcripſit regiminis formam, quæ Ariſtocratica nominatur, in qua videlicet ſumma poteſtas reſidet penes Optimates ita, ut illorum nullus ſit ceteris omnibus auctoritate, juriſdictioneque præſtantior. Hoc profecto regiminis genus non patitur ipſa Eccleſiæ natura. Fuit enim divinitus ita inſtituta, ut licet ex diverſis nationibus conſtans, atque per totum orbem diffuſa, ſemper tamen eſſet futura unus exercitus „ Cant. vi., una reſpublica, unum regnum, una civitas, Daniel. ii, una navis, una familia, una domus, Luc. xii,, unum ovile, Jo. x., Jam vero tam perfecta, tamque neceſſaria unitas poſtulat omnino unum, qui omnibus præſit, eaque ſit exornatus auctoritate, qua poſſit ſingulos in officio continere, atque in contumaces animadvertere. Paritas enim honoris, auctoritatiſque ſolet ſæpe pugnas inducere.

X.

Ideoque etiam Chriſtus, ut unitatem ſartam tectam conſervaret, unum ex Apoſtolis elegit Petrum, eique contulit ſupra ceteros Primatum præcipuæ juriſdictionis, conſtituit illum totius Eccleſiæ ſuæ caput, ac unitatis centrum. „ Loqui-
„ tur Dominus ad Petrum„ verba ſunt Cypriani libro de unitate Eccl. „ ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc pe-
„ tram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni
„ cælorum .... Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam
„ dicit: Paſce oves meas. Super unum ædificat Eccleſiam
„ ſuam ..... Ut unitatem manifeſtaret, unitatis originem ab
„ uno

„ uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit „. Quia ſolus pro- „ fitetur ex omnibus „ addit Ambroſius lib. x. in Lucam „ „ omnibus anteſertur . . . Oves paſcere jubetur perfectiores.

(XI.)

At ordini Hierarchico in hunc modum conſtituto promiſit idem Chriſtus ſe adfuturum omnibus diebus uſque ad ſæculi finem; divini ergo juris eſt, ut aliquis Petro vita functo in Primatu juriſdictionis ſuccedat ſemper uſque ad conſumationem ſæculi.

(XII.)

Quinam vero habendus ſit legitimus Petri Succeſſor in totius Eccleſiæ Primatu, demonſtratur vel hoc uno, quo Tertullianus, Auguſtinus, aliique uſi ſunt, principio: „ Quod „ univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſem- „ per retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum „ rectiſſime creditur „; Atqui Romanum Pontificem Petro ſuccedere in totius Eccleſiæ Primatu, ſemper ab Eccleſia Catholica retentum eſt, nec hoc Conciliis inſtitutum reperimus. Certos nos hac de re reddit Majorum noſtrorum cum Græcorum, tum Latinorum una conſtans doctrina. Unus adinſtar omnium ſit Cyprianus. Is itaque Epiſt. XLVIII. ad Cornelium de Romana Eccleſia loquens „ Scimus, inquit, nos „ hortatos eos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ Radicem, & Ma- „ tricem agnoſcerent, ac tenerent. „ Et Epiſt. LIX. „ Na- „ vigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam „ Principalem, unde Unitas Sacerdotalis exorta eſt.

DE



DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS VISIBILI SACRIFICIO.

I

UBI nullum peculiare ſacrificium, privatim res ſacra nulla, ſacerdos proprie nullus eſt, ibi ne religionem quidem eſſe, natura duce ſcimus. Illud certe, in quod omnes convenerunt ſemper, natura inſitum eſt. „ Quam vero antiquiſſimus ſit ſacri„ ficandi Deo cultus „ ait Auguſtinus lib. x. de Civit. Dei cap. iv. „ duo illi Fratres Cain, & „ Abel ſatis indicant, cum majoris Deus reprobavit ſacrificium, „ minoris aſpexit„. Atque hic idem cultus continenter in eam permanavit Eccleſiam, quæ fuit & in hominibus piis ſub lege olim naturali, & in populo Judæorum ſub lege Moyſi. Sed & apud nationes ab unius veri Dei cultu alienas nullam fuiſſe religionem ſine ſacrificii oblatione, teſtes ſunt antiqui probati auctores.

II.

Digitized by Google

II.

Chriſtus autem non venit certe ſolvere legem, ſed adimplere, atque perficere; ejuſdem propterea muneris erat, novum, perfectiuſque externum condere ſacrificium, quo uno & variarum expleretur antiqui fœderis differentia victimarum, & novæ religionis cultores naturæ legi ſatisfacerent. Sed rem penitus conficiunt, quæ hac de re edita ſunt, divina oracula. Deus per Malachiam cap. 1. eſt conteſtatus, fore, ut Meſſiæ ætate in omni loco ab Gentibus converſis eſſet ſacrificanda, & offerenda nomini ſuo oblatio munda, hebraice, *minchà thehora*, ideſt, oblatio ſimilæ, ſive munus ex farina mundiſſima. David quoque „ Pſal. cix„ prænuntiavit, Meſſiam futurum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Ordo autem iſte ſitus erat in panis, & vini oblatione uni Deo facta. Dandum propterea eſt, Chriſtum obtuliſſe, ſacrificium juxta laudatum ordinem rituque perpeto, ut in omni loco offerretur ſanxiſſe.

III.

Atqui nulla poteſt afferri Sacerdotalis Chriſti actio, quæ divinis oraculis plene reſpondeat præter illam unam, qua in ultima cœna panem in ſuum corpus, & vinum in ſuum ſanguinem conſecravit, & hoc ipſum in ſui memoriam faciendum Apoſtolis præcepit. Euchariſtia igitur habet veri incruenti ſacrificii rationem. Et hæc fuit ſemper ſibi conſtans Patrum ſententia. Multis vero prætermiſſis, Irenæus lib. iv. cap. xxxii. „ Novi Teſtamenti, ait, novam docuit oblationem, quam „ Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo of-
„ fert

„ fert Deo. „ In quonam autem ſita ſit oblationis hujus natura, exponit clarius S. Cyprianus Epiſt. LXIII. ad Cæcilium in hæc verba: „ In Sacerdote Melchiſedech ſacri- „ ficii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus .... „ Dominus noſter ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtu- „ lit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt pa- „ nem, & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem „.

(IV.)

Et quidem non Euchariſticum tantum eſſe, quo nempe Deo gratiam referamus, ſed etiam vere propitiatorium, quod nos Deo placet tamquam hoſtia pro peccato, demonſtrat ipſa conſecrationis forma. In omnibus enim Græcis exemplaribus legitur „ Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: Hic „ eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur in remiſſionem „ peccatorum.

(V.)

Illud ipſum etiam vita functis prodeſt. Decretoria ſunt, quæ Auguſtinus lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1. habet in hæc verba: „ In Machabæorum libris legimus, oblatum „ pro mortuis ſacrificium; ſed etſi numquam in Scripturis „ veteribus legeretur, non parva eſt Eccleſiæ, quæ in hac „ conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdo- „ tis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ha- „ bet commendatio mortuorum.

V I.

Digitized by Google

150.

(V I.)

„ Altaris autem ſacrificia pro baptizatis defunctis omni- „ bus offeruntur ; ſed pro valde bonis „ pro ſanctis cum „ Chriſto regnantibus „ gratiarum actiones ſunt ; pro non „ valde malis „ ideſt pro iis , qui purgatoriis pœnis deti- „ nentur „ propitiationes ſunt , ita , ut vel ſit plena remiſ- „ ſio , aut certe tolerabilior fiat ipſa damnatio ; pro valde „ malis „ ideſt pro damnatis „ nulla ſunt adjumenta „ . Hinc lib. III. de orig. animæ cap. XII. , Noli , inquit , credere , nec „ dicere , nec docere , ſacrificium Chriſtianorum pro iis , „ qui non baptizati de corpore exierint , offerendum , ſi „ vis eſſe Catholicus „ . Et lib. XXI. de Civit. Dei cap. XXIV. principii loco ponit , quod „ Si qui uſque ad mortem habe- „ bunt cor impœnitens , nec ex inimicis convertentur in fi- „ lios ; jam pro eis , ideſt pro talium defunctorum ſpiriti- „ bus non orat Eccleſia „ . Iis itaque ſacrificia proſunt , „ quibus dum vivunt , comparatur , ut proſint . Sed quia „ non diſcernimus , qui ſint ; oportet ea pro regeneratis om- „ nibus facere „ .

(V I I.)

Ad plenam ſacrificii hujus rationem attinet certe con- ſumtio hoſtiæ , quæ per Sacerdotis communionem ſub utra- que ſpecie fiat ; non tamen eſt neceſſaria ejuſdem diſtribu- tio . Enim vero germana ſacrificii notio in oblatione uni Deo facta , non in adſtantium participatione conſiſtit , quemadmo- dum ſatis ſuperque declarat veteris legis holocauſtum , quod totum incendebatur .

VIII.

VIII.

Miſſæ propterea, quæ privatæ, ſive peculiares, & ſolitariæ dicuntur, & in quibus ad Euchariſticam menſam adſtantium nullus accedit, ſacrilege a Novatoribus damnantur, ceu Chriſti inſtitutioni contrariæ.

IX.

Sed & accedentibus ad Euchariſticam menſam, & quibuſcumque aliis fidelibus non conficientibus communio ſub utraque ſpecie non eſt neceſſaria. Nullum enim hac de re extat divinum præceptum; quin ab Chriſto Domino eadem vita æterna promittitur tam illi, qui ſub utraque, quam illi, qui ſub una panis ſpecie digne Sacramentum hoc ſumpſerit „ Joannis cap. VI. „

X.

Si communio ſub utraque ſpecie non eſt omnibus a Chriſto præcepta, reliquum eſt, calicis uſum ad meræ diſciplinæ capita pertinere „. Jam vero, quæ diſciplinæ, & „ converſationis ſunt, admittunt novitatem correctionis „ in„ quiebat Tertul. lib. de velandis Virginibus „ operante ſcili„ cet, & proficiente uſque in finem gratia Dei „. Eccleſia itaque quemadmodum plura hujuſce generis alia ſummo jure commutavit, ita eodem jure potuit, calicis uſum Laicis interdicere.

FINIS.

VA1
1546112

Digitized by Google